Lib. II.

Defensor etiam eos qui equum censeant rem perniciosam utili proponi uti et loco communi per conquestionem. et simul queret ab accusatoribus ab iudicibus ipsis quid facturi essent si in eo loco fuissent. et tempus et locum et rem et deliberationem suam ponet ante oculos.

Translatio est criminis cum ab reo facti causa in alios peccatum transfertur. in qua primum querendum est utrum iure crimen transferatur in alium. Deinde spectandum est si aeque magnum sit illud peccatum quod in alium transferatur atque illud quod reus suscepisse dicatur. Deinde oportueritne peccare in ea re in qua alius ante peccaverit. Deinde oportueritne iudicium ante fieri. Deinde cum factum iudicium non sit de illo crimine quod in alium transferatur oporteatne de ea re iudicium fieri que res in iudicium non devenerit. Locus communis accusatoris contra eum qui plus censeat vim quam iudicia valere oportere. et ab adversariis percontabitur accusator quid futurum sit si idem ceteri faciant. ut de indempnatis supplicia sumant quos eos idem fecisse dicant. et quid si ipse accusator facere idem voluisset. Defensor eorum peccati atrocitatem proferet. in quos crimen transferet. rem locum tempus. in oculos ponet. ut hi qui audiunt existiment aut non potuisse aut inutile fuisse rem in iudicium venire.

Concessio est per quam nobis ignosci postulamus. Ea dividitur in purgationem et deprecationem. Purgatio est cum consulto negamus a nobis factum. Ea dividitur in necessitudinem. fortunam. inprudentiam. De his partibus primum ostendendum est. Deinde ad deprecationem revertendum videtur. Primum considerandum est. num culpa ventum sit in necessitudinem. num culpam veniendi necessitudo fecerit. Deinde querendum quomodo vis illa devitari potuerit ac levari. Deinde is qui in necessitudinem causam conferet expertusne sit quid contra facere aut excogitare posset. Deinde num que suspectiones ex e[illegible] tuali estimatione trahi possit. que significent id esse consulto factum et quod necessario accidisse dicitur. Deinde si maxima necessitudo quepiam fuerit. conveniatne eam satis ignoscendi idoneam causam putari.

Si autem inprudentia se peccasse reus dicet. Primum queretur utrum potuerit nescire. aut non potuerit. Deinde utrum data sit opera ut sciretur annon. Deinde utrum casu nescierit an culpa. Nam qui se propter vinum aut amorem aut iracundiam fugisse rationem